

quam 42 in bello amissis. — § 1 Eodem tempore idem 43 duas curas operis [non] administrabit.

TIT. VI.

DE JURE IMMUNITATIS

1. ULPIANUS, lib. 3 Opinionum

Qui ob hoc tantum in navibus sunt, ut in his agendi causa operarentur, nulla constitutione immunitatem a muneribus civilibus habent. — § 1. Personis date immunitates hereditibus non 1 relinquuntur. — § 2. Sed et generi posterisque 2 date custoditæque, ad eos, qui ex feminis nati sunt, non 3 pertinent.

2. Idem, lib. 4, de Officio proconsulis.

Si qui certa 4 conditione muneribus vel honoribus se adstrinxerunt, cum alias compelli non possent inviti suscipere istum honorem: fides eis servanda est conditioque, qua se ad munera sive honores applicare se passi sunt. — § 1. Impubes 5, quamvis necessitas penuriae hominum cogat, ad honores non esse admittendos, rescripto ad Benidium Rufum, legatum Ciliciæ declaratur.

3. Idem, libro quinto.

Majores septuaginta 6 annis a tutelis, et muneribus [personalibus] vacant, sed qui ingressus est septuagesimum annum, nondum egressus, hac vacatione non utetur: quia non videtur major esse septuaginta annis, qui annum agit septuagesimum.

4. MODESTINUS, lib. 6 Regularum

Immunitates generaliter tribuæ eo jure, ut ad posteros 7 transmittentur, in perpetuum succedentibus durant.

5. CALLISTRATUS, lib. 4, de Cognitionibus.

Semper in civitate nostra senectus venerabilis fuit: namque majores nostri penes eundem honorem senibus quem magistratibus tribuebant. Circa munera quoque municipalia subeunda idem 8 honor senectuti tributus est. Sed eum qui in senectute locuples factus est, et ante nullo publico munere functus est, dici potest non eximi ab hoc onere privilegio ætatis: maxime si non tam corporis habeat vexationem, quam pecuniæ erogationem indicti muneris administratio: et ex ea civitate, in qua non facile sufficientes viri publicis muneribus inveniantur. — § 1. Legem quoque respici jusque loci 9 oportet, an cum aliquas immunitates nominatim complecteretur, etiam de numero annorum in ea commemoraretur: idque etiam colligi potest ex literis divi Pii, quas emisit ad Enitium Proculum, proconsulem provinciæ Africae. — § 2. Demonstratur varie, nec absce, numerum liberorum ad excusationem municipalium munerum prodesse, ex rescriptis divi Elvii Pertinacis: namque Silvio Candido in hæc verba rescripsit: *Εἰ καὶ μὴ πᾶσάν λειτουργίαν ἀφίησιν τοῖς πατέρας ὁ τῶν τέκνων ἀριθμὸς ἀλλ' οὐν ἐπειδὴ ἑκατάδεκα παῖδες ἔχεν διὰ τῶ βελίου ἐδύλωσας, οὐκ ἔστιν ἀλογον ὥστε συγχορηῆσαι γολᾶσιν τῇ παιδοτρέφει καὶ ἀνεύθειν αὐ τοῦ λειτουργίαν* id est, *Etsi non ab omnibus muneribus dimitit patrem natorum numerus: tamen quia sedecim 10 pueros habere te per bellum notificasti: non est irrationabile, ut concedamus filiorum educatione remitti tibi munera.* — § 3. Negotiatores qui annonam urbem adjuvant, item navicularii 11, qui annonæ urbis serviunt, immunitatem a muneribus publicis consequuntur, quamdiu 12 in ejusmodi actu sunt: *nam remuneranda pericula eorum, quin etiam et hortanda præmiis, merito placuit*, ut qui peregre muneribus, et quidem publicis, cum periculo et labore fungentur, a domesticis vexationibus, et sumptibus liberentur: cum non sit alienum dicere, etiam hos reipublicæ causa, dum annonæ urbis serviunt abesse. — § 4. Immunitati quæ naviculariis præstatur, certa forma data est: quam immunitatem ipsi duntaxat habent, non 13 etiam liberis, aut libertis eorum præstatur, idque principalibus constitutionibus declaratur. — § 5. Divus Hadrianus rescripsit, immuni-

42. L. 18, supr. pr. inst. de excusat. — 43. L. 1, in fin. infr. de operib. publ. Tit. VII. — 1. L. 28, in fin. supr. de legat. 2; L. 1, § 45, supr. de aqua quotid.; L. 3, in fin. infr. de censib.; L. 28, C. de excusat. muner. — 2. L. 4, infr. h. t. — 3. L. 15, supr. de munerib. Immo vide L. 36, in fin.; L. 118, L. 129, in fin.; L. 163, in fin.; L. 201, L. 250, in pr. infr. de verb. sign.; L. 45, in pr. supr. de legat. 2; L. 16, in pr. supr. de testam. tut. § ult. in fin. Inst. qui testam. tut. — 4. L. 2, C. de his, qui sponte. — 5. L. 8, supr. de munerib. — 6. L. vii. C. qui ætate. obs. L. ult. C. qui ætate vel profess. — 7. L. 1, in fin. supr. h. t. — 8. L. 2, in fin.; L. 11, supr. de decur. L. 3, § 6, supr. de munerib.; L. 2, § 7, supr. de vacatione; L. 10, C. de decurion. — 9. d. L. 11, in fin. — 10. Adde L. 24, C. de decurion. — 11. § 4.

tatem navium maritimarum duntaxat habere, qui annonæ urbis serviunt. — § 6. Licet in corpore naviculariorum quis sit, navem tamen vel naves non habeat, nec omnia ei congruant, quæ principalibus constitutionibus cauta sint, non poterit privilegio navicularii indulto uti: idque, et divi fratres rescripserunt in hæc verba, *Ἴσσαν καὶ ἄλλοι τινες ἐπὶ προφάσει τῶν ναυκλήρων καὶ τῶν σιτῶν καὶ ἑλαίων ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀγορὰν τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαικοῦ ὄντων ἀτελῶν ἀξιούντες τῆς λειτουργίας διαδιδράσκων, μίτη ἐπιπλέοντες, μίτη τὸ πλέον μέρος τῆς οὐσίας, ἐν ταῖς ναυκλήρσιαι καὶ ταῖς ἐμπορείαις ἔχοντες, ἀφαιρέθῃτω τῶν τοιούτων ἡ ἀτέλεια* id est, *Erant et alii quidam, qui sub occasione naviculariorum frumentum, et oleum inferentium in romani populi forum, et ideo immunitum postulabant se subtrahere: qui neque navigabant, neque maximam patrimonii partem in re nautica, et mercibus habebant, auferatur hujusmodi hominum immunitas.* — § 7. Hoc circa vacationes dicendum est, ut si ante quis ad munera municipalia vocatus sit, quam negotiari inciperet, vel ante 14 quam in collegium adsumeretur, quod immunitatem pariat, vel antequam septuagenarius fieret, vel antequam publice profiteretur, vel antequam liberos susciperet, compellatur ad honorem gerendum. — § 8. Negotiatio pro incremento facultatum exercenda est: alioquin si quis majore pecuniæ suæ parte negotiationem exercebit, rursus locuples factus in eadem quantitate negotiationis perseveraverit, tenebitur muneribus, sicuti locupletis, qui modica pecunia comparatis navibus, muneribus se publicis subtrahere tentant: idque ita observandum epistola divi Hadriani scripta est. — § 9. Divus quoque Pius rescripsit, ut quotiens de aliquo naviculario queratur, illud excutiat, an effugiendorum munerum causa imaginem 15 navicularii induat. — § 10. Conductores etiam vectigalium fisci, necessitate subeundorum municipalium munerum non obstringuntur: idque ita observandum divi fratres rescripserunt. Ex quo principali rescripto intelligi potest, non honori conductorum datum, ne compellantur ad munera municipalia, sed ne extenuentur facultates eorum, quæ subsignatæ sint fisco. Unde subsistit potest, an prohibendi sint a præside, vel procuratore Caesaris, etiam si ultro 16 se offerant municipalibus muneribus, quod propius est defendere, nisi si paria fisco fecisse dicantur. — § 11. Coloni 17 quoque Caesaris a muneribus [municipalibus] liberantur 18, ut idoneis prædiis fisealibus habeantur. — § 12. Quibusdam 19 collegiis vel corporibus, quibus jus coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur: scilicet eis collegiis vel corporibus, in quibus artificii 20 sui causa unusquisque adsumitur: ut fabrorum corpus est, et si qua eandem rationem originis habent, id est, idcirco instituta sunt, ut necessariam operam publicis utilitatibus exhiberent. Nec omnibus promiscue, qui adsumpti sunt in his collegiis immunitas datur: sed artificibus 21 duntaxat. Nec ab omni ætate alligi possunt, ut divo Pio placuit: qui reprobavit prolixæ vel imbecillæ admodum ætatis homines. Sed ne quidem eos qui augeant facultates, et munera civitatum sustinere possunt, privilegiis, quæ tenuioribus per collegia distributis concessa sunt, uti posse, plurifariam constitutum est. — § 13. Eos, qui in corporibus allecti sunt, quæ immunitatem præbent naviculariorum 22, si 23 honorem decurionatus adgoverint, compellendos subire publica munera, accepti: idque etiam confirmatum videtur rescripto divi Pertinacis.

6. TARRUNTENUS PATERNUS, lib. 1 Militarium.

Quibusdam aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit: ut sunt 24 mensores, optio, valetudinarii, medici 25, capsarii, [et] artifices, et qui fossam faciunt, veterinariii, architectus, gubernatores, naupægi, ballistrarii, specularii, fabri sagittarii, ærarii, bucularum structores, carpentarii, scandularii, gladiatores, aquilices, tubarii, cornuarii, arcuarii, plumbarii, ferrarii, lapidarii, et hi qui calcem coeunt, et qui sylvam infundunt, qui carbonem cadunt, ac torrent: in eodem numero haberi solent lanii venatores 26, viclimarii, et optio, fabricæ, et qui agris præsto sunt, librarii quoque qui docere possint, et horreorum librarii [et librarii] depositorum, et librarii caducorum, et adjuutores corniculariorum, et stratores, et polliones, et custodes armorum et præco, et bacinator: hi igitur omnes inter immunes habentur.

infr. h. l. — 12. Immo vide L. 5, supr. de munerib. — 13. L. 3, § 6, supr. d. t. L. ult. C. de munerib. et honor. non continuand. — 14. Adde L. 13, § ult. supr. tit. prox. — 15. Adde L. 4, in fin. supr. de munerib. — 16. L. 25, supr. de procur. — 17. L. ult. § 1, supr. ad municipal. — 18. Immo vide L. 8, C. de excusat. tut. — 19. L. 1, supr. quoque ejusdemque univers. — 20. L. 1, L. 2, C. de excusat. artifice. lib. 10, tit. 64. — 21. L. 9, C. de sacer. ecclies. — 22. L. 9, in fin. supr. de decurion. — 23. L. 15, § ult. supr. tit. prox.: L. 1, L. 2, C. de his, qui sponte publ. munera. — 24. Adde L. 1, C. de excusat. artifice. lib. 10, tit. 64. — 25. L. 35, § ult. supr. ex quib. caus. major. — 26. Immo vide L. 6, C. de excusat. muner.

TIT. VII.

DE LEGATIONIBUS.

1. ULPIANUS, lib. 8, ad Massurium Sabinum.

Legatus municipalis, si deseruerit 2 legationem pœna adiciatur extraordinaria, motus ordine, ut plerumque solet.

2. Idem, lib. 2 Opinionum.

Legatus contra rempublicam cujus legatus est, per alium a principe quid postulare potest. — § 1. Utrum quis deseruerit 3 legationem, an ex necessaria causa moram passus sit, ordini patriæ suæ probare debet. — § 2. Cessatio unius legati ei qui munus, ut oportet, obiit, non nocet. — § 3. His qui gratuitam legationem susceperunt, legativum 4 ex forma restituitur.

3. AFRICANUS, lib. 3 Questionum.

Cum quaeritur, an in eum qui in legatione sit, actio dari debeat: non tam interest, ubi quis aut crediderit, aut dari stipulatus sit, quam illud, an id actum sit, ut legationis 5 tempore solvetur.

4. MARCIANUS, lib. 12 Institutionum.

Sciendum est, debitorem reipublicæ legatione fungi non posse: et ita divus Pius Claudio Saturnino et Faustino rescripsit. — § 1. Sed et eos 6, quibus jus postulandi non est, legatione fungi non posse, et ideo arena missum, non jure legatum esse [missum] divi Severus et Antoninus rescripserunt. — § 2. Debitores autem fisci non prohibentur legatione fungi. — § 3. Si accusatus alicujus publice instituta sit: non est compellendus accusator ad eum legationem suscipere, qui se amicum vel domesticum dicit ejus, qui accusatur, et ita divi fratres Emilio Rufo rescripserunt. — § 4. Legati vicarios dare non alios possunt, nisi filios suos. — § 5. Ordine 7 unusquisque munere legationis fungi cogitur: et non alias compellendus est munere legationis fungi, quam si priores qui in curiam lecti sunt, functi sunt. Sed si legatio de primoribus viris desideret personam, et qui ordine vocatur, inferiores sint, non 8 esse observandum ordinem D. Hadrianus ad Clazomenios rescripsit. — § 6. Præcipitur autem edicto divi Vespasiani omnibus civitatibus, ne plures, quam ternos legatos mittant.

5. SÆVOLA, lib. 4 Regularum.

Legato tempus prodest, ex quo legatus creatus est, non ex quo Romam venit. — § 1. Sed si 9 non constat legatus sit, an non? Romæ prætor de hoc cognoscit.

6. ULPIANUS, lib. 5, de Officio proconsulis.

Filio propter 10 patrem legationis vacatio ne concedatur, imperator noster cum patre Claudio Callisto rescripsit in hæc verba: *Quod desideras, ut propter legationem patris tui a legatione tu vaces, in intervallis honorum, qui sumptum habent, recte observatur: in impendiis legationum, quæ solo ministerio obeuntur, diversa causa est.*

7. PAPINIANUS, lib. 4 Responsorum.

Filius decurio pro patre 11 legationis officium suscepit: ea res filium, quo minus ordine suo legatus proficiatur, non excusat: pater tamen biennii vacationem vindicare poterit: quia per filium legatione functus videtur.

8. PAULUS, lib. 4 Regularum.

Paulus respondit, eum qui legatione functus est, intra tempora vacationis præfinita non 12 oportere compelli rursum ad defendendum publicum negotium, etiam si de eadem causa litigetur. — § 1. Imperatores Antoninus et Severus Augusti Germano Silvano: legatione 13 functis biennii vacatio conceditur. Nec interest, utrum legatio in urbe, an in provincia agentibus nobis mandata sit. — § 2. Paulus respondit, eum qui legatione fungitur, neque alienis, neque propriis negotiis se interponere debere 14: in qua causa non videri eum quoque contineri, qui cum amico suo prætoris gratia consilium participat.

9. Idem, lib. 3 Responsorum.

Paulus respondit, de eo 15 damno, quod legationis tempore legatus passus est, posse eum etiam legationis tempore experiri.

Tit. VII. — 1. Lib. 10, C. 63. — 2. L. 2, § 1, infr. L. 2, in fin. C. h. t. — 3. L. 1, supr. eod. — 4. L. ult. § 12, supr. de munerib. — 5. L. 21, supr. de oblig. et act. — 6. L. 1, § 6, supr. de postulando. — 7. L. 3, § 15, supr. de munerib. — 8. L. 11, § 2; L. 14, in fin. supr. d. l. — 9. L. 2, § 5, supr. de judic. — 10. L. 1, L. ult. C. de muner. et honor. non continuand. — 11. L. 15, infr. h. t. — 12. L. 12, supr. de vacatione; L. 2, C. de munerib. et honor. non continuand. — 13. d. L. 2. — 14. L. 10, L. 11, § 2; L. 11, L. 15, infr. h. t. excip. L. 9, infr. eod. — 15. L. 10, infr. eod. — 16. L. 8, § ult. supr. eod. — 17. Adde L. 4, supr. de offic.

10. Idem, lib. 4 Sententiarum.

Legatus, antequam officio legationis functus sit 16, in rem suam nihil agere potest, exceptis his quæ ad injuriam ejus, vel damnum parata sunt. — § 1. Si quis in munere legationis, antequam ad patriam revertatur, decessit 17, sumptus qui proficiscenti sunt dati non restituantur.

11. Idem, lib. singul., de jure Libellorum.

Si absenti injuncta est legatio, eamque gratuitam suscepit: potest quis et per alium legationem mittere. — § 1. Qui legationis officio fungitur, licet sum negotium 18 curare non potest: magnus tamen Antoninus permisit ei pupillæ nomine et instruere et defendere causam, licet legationi, quam suscepit, nondum renuntiaverit: præcipue cum principem officii ipsius absentem esse dicebat.

12. SÆVOLA, lib. 4 Digestorum.

Legatus creatus a patria sua, suscepta legatione, in urbem Romam venit, et nondum perfecta legatione, domum, quæ erat in ipsius civitate Nicopoli emit. *Quæsitum* est, an in senatusconsultum incidit, quo prohibentur 19 legati ante perfectam legationem negotiis vel privatis rebus obstringi? *Respondit*, non videri teneri.

13. PAPINIANUS, lib. 1 Responsorum.

Vicarius 20 alieni muneris voluntate sua datus, ordine suo legationem suscipere non admissa biennii præscriptione cogitur.

14. ULPIANUS, lib. 74, ad Edictum prætoris.

Qui libera legatione abest, non videtur reipublicæ causa abesse: hic enim non publici commodi causa, sed sui abest.

15. MODESTINUS, lib. 7 Regularum.

Is, qui legatione fungitur, libellum sine permissu principis de aliis 21 suis negotiis dare non potest.

16. Idem, lib. 8 Regularum.

Eundem plures legationes suscipere prohibentur non est: præterea si et sumptus et itineris compendium suadeat. — § 1. Ante legationem susceptam si cui negotium moveatur, etiam absens defendi debet: suscepta legatione, non 22 nisi injuncto munere fungatur.

17. POMPONIUS, lib. 57, ad Quintum Mucium.

Si quis legatum 23 hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia *sancti habentur legati*: et ideo, si cum legatis apud nos essent gentis alicujus bellum cum eis indictum sit? responsum esse, liberos eos manere: id enim juri gentium conveniens esse: itaque eum qui legatum pulsasset, Quintus Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, solitus est respondere: quem hostes si non 24 recepissent, *quæsitum* est, an civis romanus maneret? quibusdam existimantibus manere, aliis contra: quia quem semel populus jussisset dedi, ex civitate expulsi videretur, sicut faceret, cum aqua 25, et igni interdiceret: in qua sententia videtur Publius Mucius fuisse: id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non acceperunt, de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis romanus: et prætoram quoque gessisse dicitur.

TIT. VIII.

DE ADMINISTRATIONE RERUM AD CIVITATES PERTINENTIUM.

1. ULPIANUS, lib. 40 Disputationum.

Quod ad certam speciem civitatis relinquatur, in alios usus convertere non 4 licet.

2. Idem, lib. 3 Opinionum.

Non utique de exemplo posterioris locationis præteritarum conductio-nium, quæ suam legem habuerunt, rationem iniri oportet. — § 1. Quod quis suo 2 nomine exercere prohibetur, id nec per subjectam personam agere debet: et ideo si decurio, subjectis aliorum nominibus, prædia publica locat, quæ decurionibus conducere 3 non licet, secundum legem

asses: L. 19, in fin. supr. locati. — 18. L. 8, § ult. supr. h. t. — 19. d. § ult. — 20. L. 7, supr. eod. — 21. L. 8, § ult. supr. eod. — 22. L. 2, supr. de in jus vocando: L. ult. supr. eum, qui appellaverit. — 23. L. 7, supr. ad leg. Jul. de vi publ. — 24. Adde L. 4, supr. de captiv. — 25. L. 1, § 2, supr. de legat. 3. Tit. VIII. — 1. L. 4, infr. h. t. Immo vide L. 16, supr. de usu et usufr. — 2. L. un. C. quib. ad conduct. præd. fiscal. — 3. L. 6, § 2, supr. de decur.; L. 50, C. de locato.

usurpata revocentur.— § 2. Quod de frumentaria ratione in alium usum conversum est, sua causa cum incremento debito restituitur: idque etsi contra absentem pronunciatum est, inanis est querela: ratio tamen administrationis secundum fidem acceptorum, et datorum ponatur.— § 3. Frumentaria pecunia suo nomine debitor quamprimum solvat: necessario enim omnibus rebus publicis frumentaria pecunia moram solutionis accipere non debet: sed debitores, quos ex eadem causa habet, ad solutionem per praesidem provinciae compellantur.— § 4. Ad frumenti comparationem pecunia data restitui civitati, non compensari in erogata debet. Sin autem frumentaria pecunia in alios usus, quam quibus destinata est, conversa fuerit, veluti in opus balnearum publicorum: licet ex bona fide datum probatur, compensari quidem frumentaria pecunia non oportet: solvi autem a curatore reipublicae jubetur.— § 5. Si indemnitas debiti frumentariae pecuniae cum suis usuris sit, immodica, et illicita computationis modus non adhibetur, id est, ne commodorum commoda et usurae usurarum incrementum faciant.— § 6. Grani aestimationem per injuriam post emptorem ablati, quae rationibus publicis refertur, curator reipublicae domino restitui jubetur.

§ 7. Si eo tempore quo nominatus est idoneus, postea lapsus facultatibus, damnus debitis reipublicae dederit quia fortuitus casus nullum humanum consilium providere potest, creator hoc nomine nihil praestare debet.— § 8. Jus reipublicae pacto mutari non potest, quominus magistratus collegae quoque nomine conveniantur in his speciebus, in quibus id fieri jure permissum est.— § 9. Actio autem, quae propterea in collegam decerni solet, ei, qui pro altero dependit, ex aequitate competet.— § 10. Quod depensum pro collega in magistratu probabitur, solvi, et ab heredibus ejus praes provinciae jubet.— § 11. [Idem ex eodem libro] conductore perficiendi operis punito, fidejussor, qui pro eo intervenerat, idem opus extruendum alii locaverat, nec a secundo redemptore opere perfecto usurarum praestationem heres fidejussoris recusare non debet: cum et prior causa in bonae fidei contractu in universum fidejussorem obligaverit: et posterior locatio, quia suum periculum agnovit, solidae praestationi reipublicae eum substituerit.— § 12. Qui fidejusserint pro conductore vectigalis in universam conductionem, in usuras quoque [in] jure conveniuntur, nisi proprie quid in persona eorum verbis obligationis expressum est.— § 13. Sed si in locatione fundorum pro sterilitate temporis boni viri arbitrata in solvenda pensione cujusque anni pacto comprehensum est: explorata lege conductionis, fides bona sequenda est.

3. PAPIANUS, lib. 4 Responsorum.

Curatores communis officii, divisa pecunia, quam omnibus in solidum publice dari placuit, periculo vice mutua non liberantur.

ULPIANUS.

Prior¹⁰ tamen exemplo tutorum conveniendus est is, qui gessit.— § 1. [Ex eodem libro] praedium publicum in quinque annos idonea cautione non exacta curator reipublicae locavit: ceteris annis colonus si reliqua traxerit, et de fructibus praedii mercedem [que] servari non poterint, successor, qui locavit tenebitur, idem in vectigalibus non ita pridem constitutum est: [scilicet] ut sui temporis singuli periculum praestarent.— § 2. In eum qui administrationis tempore creditoribus reipublicae novatione facta pecuniam cavet, post depositum officium actionem denegari non oportet. Diversa causa est ejus, qui solvi constituit: similis etenim videtur ei, qui publice vendidit, aut locavit.— § 3. Filium pro patre curatore reipublicae creato cavere cogi non oportet, nec mutat, quod in eum pater emancipatum, prius quam curator constitueretur, partem bonorum suorum donationis causa contulit.— § 4. Pro magistratu fidejussor interrogatus pignora quoque specialiter dedit, in eum casum pignora videntur data, quo recte convenitur videlicet postquam res ab eo servari non potuerit, pro quo intercessit.

4. VALENS, lib. 2 Fideicommissorum.

Legatum municipio pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere citra principis auctoritatem non licet¹⁵, et ideo si unum opus fieri jusserit, quod Falcidia legis intervenit fieri non potest, permittitur summam, quae eo nomine debetur, in id quod maxime necessarium reipublicae videatur, convertere sive plures summam in plura opera legatur, et legis Falcidiae intervenit id quod relinquatur omnium operum extractioni non sufficit, permittitur, in unum opus, quod civitas velit, erogari.

4. § 4, infr. hic; L. ult. C. de frumento urb. Constantinop.— 5. § 2, supr. h. 1.— 6. L. 28, C. de usur.— 7. L. 5, § 4, supr. cotomodati; L. 25, in fin. infr. de reg. jur.: L. 6, C. de pignorat.— 8. L. 38, supr. de pact.: L. ult. in fin. supr. de suis et legit.— 9. L. 68, § 1, supr. conven. fisci debitor.— 11. L. 67, supr. de procur. immo vide L. 5, supr. quando ex facto tut.— 12. L. 16, § 2, supr. de numeris.— 13. L. 1, § 1, supr. h. 1.; L. 21, § 5, supr. de annuis excep. L. 16, supr. de usu et usufr.: L. 15, § 1, infr. de pollicit.: L. 9, C. de paganis.— 14. L. 5, in fin. infr. de operib. publ.— 15. L. 8, supr. ad municipal.— 16. Immo vide L. ult. infr. de

Sed municipio pecuniam legatam, ut ex relictu ejus venatur, aut spectacula edantur, senatus in eas causas erogari vetuit, et pecuniam eo legatam, in id quod maxime necessarium municipibus videatur, conferre permittitur, ut in eo munificentia ejus, qui legavit, inscriptione¹⁴ notetur.

5. PAULUS, lib. 1 Sententiarum.

Decuriones pretio viliori¹⁵ frumentum, quod annona temporalis est, patriae suae praestare non sunt cogendi.— § 1. Nisi ad opus novum¹⁶ pecunia specialiter legata sit, vetera ex hac reficienda sunt.

6. ULPIANUS, lib. 1, ad Edictum praetoris.

Magistratus reipublicae non dolam solummodo, sed et latam negligentiam¹⁷, et hoc amplius etiam diligentiam debent.

7. PAULUS, lib. 1, ad Edictum praetoris.

Si filiusfamilias, volente patre magistratum gesserit, Julianus existimavit, in solidum¹⁸ patrem teneri in id, quod ejus nomine reipublicae abesset.

8. MODESTINUS, lib. 8 Regularum.

Calculi erroris retractatio etiam post decennium, aut vicennii tempora admittitur.— § 1. Sed si gratiose¹⁹ expuncta dicentur, non retractantur.

9. PAPIRIUS JUSTUS, lib. 2, de Constitutionibus.

Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt pecuniae, quae apud curatores remansit, usuras²⁰ exigendas: ejus vero, quae a redemptoribus operum exigi non potest, sortis duntaxat periculum ad curatores pertinere.— § 1. Item rescripserunt, operum periculum etiam²¹ ad heredes curatorum pertinere.— § 2. Item rescripserunt, agros reipublicae retrahere curatorem civitatis debere, licet a bona fide emptoribus possideantur, cum possint ad auctores suos recurrere.— § 3. Item eodem libro imperatores Antoninus et Verus rescripserunt, operum exactionem sine cautione non oportere committi.— § 4. Item rescripserunt, Curatores, si negligenter²² in distrahendis bonis se gesserint, in simplum teneri: si per fraudem, in duplum: nec ad heredes eorum penam descendere.— § 5. Item rescripserunt, pecuniam ad annonam destinatam distractis rebus curatorem exigere debere.— § 6. Item rescripserunt, sitonas²³ indemnes esse oportere qui non segniter officio sui functi sunt, secundum literas Hadriani.— § 7. Item rescripserunt, a curatore calendarii cautionem exigi non debere, cum a²⁴ praeside ex inquisitione eligatur.— § 8. Item rescripserunt, curatorem etiam nomine collegae²⁵ teneri, si intervenire et prohibere eum potuit.— § 9. Item rescripserunt, nominum, quae deteriora facta sunt tempore curatoris, periculum ad ipsum pertinere: quia vero antequam curator fieret, idonea non erant, aequum videri, periculum ad eum non pertinere.— § 10. [Idem libro eodem] imperatores Antoninus et Verus rescripserunt, eum qui pecuniam publicam magistratus sui tempore, et post non pauco tempore detinuerat, usuras²⁶ etiam praestare debere, nisi si quid allegare possit, qua ex causa tardius intulisset.

TIT. IX.

DE DECRETIS AB ORDINE FACIENDIS.

1. ULPIANUS, lib. 5 Opinionum.

Medicorum intra numerum² praefinitum constituendorum arbitrium non praesidi provinciae commissum est, sed ordini, et possessoribus cujusque civitatis: ut certi de probitate morum, et peritia artis eligant ipsi, quibus se liberosque suos in aegritudine corporum committant.

2. MARCIANUS, lib. 1 Publicorum.

Illa decreta, quae non³ legitimo numero decurionum coacto facta sunt, non valent.

3. ULPIANUS, lib. 3, de Appellationibus.

Lege autem municipali cavetur, ut ordo non aliter habeatur, quam duabus⁴ partibus adhibitis.

operib. publ.— 17. L. 4, supr. de magistr. conven.— 18. L. 2, in pr. supr. ad municipal.— L. 20, § 6, supr. famul. crecis.— 19. L. 13, in fin. supr. de divers. temporal. praeser.— 20. L. 17, § 7, supr. de usur.— 21. L. ult. § 2, supr. ad municipal.; L. ult. C. quo quisque ordine.— 22. L. 6, supr. h. 1.— 23. L. ult. § 5, supr. de numeris; L. ult. C. ut nemini liceat in emptione specier.— 24. L. 4, C. de tut. vel curat. qui satis non ded.— 25. L. 31, supr. a municipal.— 26. In pr. supr. hic: L. 27, § 7, supr. de usur.

TIT. IX.— 1. Lib. 10, C. 46.— 2. L. 6, § 2, supr. de excusat.— 3. L. 39, supr. de re judic. L. 8, C. de legib.— 4. L. 8, supr. quod cujuscuque univers.

4. Idem, libro singulari de Officio curatoris reipublicae.

Ambitiosa⁵ decreta decurionum rescindi debent, sive aliquem debitorem demiserint, sive largiti sunt.— § 1. Proinde (ut solent) sive decreverint de publico alicujus vel pradia, vel aedes, vel certam quantitatem praestari, nihil valebit hujusmodi decretum.— § 2. Sed etsi salarium alicui decuriones decreverint, decretum id nonnunquam⁶ ullius erit momenti: ut puta si ob liberalem⁷ artem fuerit constitutum, vel ob medicinam: ob has enim causas licet constitui salaria.

5. CALLISTRATUS, lib. 2, de Cognitionibus.

Quod semel ordo decrevit, non⁸ oportere [id] rescindi, D. Hadrianus Nicomedensibus rescripsit, nisi ex causa, id est, si ad publicam utilitatem respiciat rescissio prioris decreti.

6. SCEVOLA, [lib. 1 Digestorum].

Municipii ita lege cautum erit: Εάν τις έξω του συνεδριου διακαταται, τούτε συνεδριου ειρησθη και προσαποτινωτα δραχμιας χιλιας. Si quis extra synedrium judicaverit, ordine seu syndrio moveatur, et luat ad haec drachmas mille. Quaesitum est, an penam sustinere debeat, qui ignorans adversus decretum fecit? Respondit, et hujusmodi penas adversus scientes paratas esse.

TIT. X.

DE OPERIBUS PUBLICIS.

1. ULPIANUS, lib. 2 Opinionum.

Curator operum creatus, praescriptione motus ab excusatione perferenda, sicut cessationis nomine, in qua quoad vivit moratus est, heredes suos obligatos reliquit: ita temporis, quod post² mortem ejus cessit, nullo onere eos obstrinxit.— § 1. Curam operis aqueductus in alio jam munere constitutus postea suscepit: praepostere visus est petere exonerari priore [munere] utrisque jam implicitus: quando, si alterum tantum sustinere eum oportuisset, ante³ probabilis impetrasset propter prius munus a sequenti excusationem.

2. Idem, lib. 3 Opinionum.

Qui liberalitate, non necessitate debiti reditus suos interim ad opera finienda concessit, munificentiae suae fructum de inscriptione⁴ nominis suis operibus, si qua fecerit, capere per invidiam non prohibetur.— § 1. Curatores operum cum redemptoribus negotium habent, respublica autem cum his, quos efficiendo operi praestituit: quatenus ergo et quis, et cui obstrictus est, aestimatio praesidis provinciae est.— § 2. Ne ejus nomine⁵ cujus liberalitate opus extractum est, craso, aliorum nomina inscribantur, et propterea revocentur similes civium in patrias liberalitates, praes provinciae auctoritatem suam interponat.

3. MACER, lib. 2, de Officio praesidis.

Opus novum privato etiam sine principis auctoritate facere licet⁶, praeterquam si ad aemulationem alterius civitatis pertineat, vel materiam seditionis praebet, vel circum, theatrum, vel amphitheatrum sit.— § 1. Publico⁷ vero sumptu opus novum sine principis auctoritate fieri non licere, constitutionibus declaratur.— § 2. Inscribi autem nomen operi publico alterius, quam principis, aut ejus⁸ cujus pecunia id opus factum sit, non licet.

4. MODESTINUS, lib. 11 Pandectarum.

Nec praesidis quidem nomen licebit superscribere.

5. ULPIANUS, libro singulari de Officio curatoris reipublicae.

Si legatum, vel fideicommissum fuerit ad opus relictum, usurae quae et quando incipiant deberi rescripto divi Pii ita continentur: Si quidem dies⁹ non sit ab his, qui statuas, vel imagines ponendas legaverunt, praefinitus, a praeside provinciae tempus statuendum est: et nisi poterint heredes, usuras leviores intra sex menses, si minus, semisses usuras reipublicae pendunt¹⁰. Si vero dies datus est, pecuniam depontant intra diem: si aut non invenire se statuas dixerint, aut loco controversiam fecerint, semisses protinus pendant.— § 1. Fines publicos¹¹ a privatis detineri non oportet. Curabit igitur praes provinciae, si qui

5. L. ult. C. de decret. decur. l. 12, C. de transact.— 6. Immo vide L. unie. C. de praebendo salario.— 7. L. 1, C. de decret. decur.— 8. L. 14, supr. de re judic.— 9. L. 1, C. de decret. decur.— 10. L. 1, in fin. C. quo quisque ordine.— 11. L. ult. in fin. supr. de vacatione.— 12. L. 3, in fin. infr. h. 1.— 13. L. ult. § 1, infr. h. 1.— 14. Immo vide L. 6, infr. l. 13, C. eod.— 15. L. 5, C. eod.— 16. L. 2, in pr. supr.; L. 10, C. eod.; L. 4, in fin. supr. de admin. rer. ad civit. pertin.— 17. L. 17, in fin. supr. de usur.— 18. L. 1, in pr. infr. de pollicitat. immo vide L. 16, in pr. supr. de usur.— 19. Adde L. ult. § 2, supr. de admin.

publici sunt, a privatis separare: et publicos potius reditus augere, si qua loca publica, vel aedificia in usus privatorum invenerit: aestimare, utrumne vindicanda in publicum sint, an vectigal ejus satius sit imponi? et id, quod utilius [esse] reipublicae intellexerit, sequi.

6. MODESTINUS, lib. 11 Pandectarum.

De operibus, quae in muris¹², vel portis vel rebus publicis fiunt, aut si muri extruantur, divus Marcus rescripsit praesidem aditum consulere principem debere.

7. CALLISTRATUS, lib. 2, de Cognitionibus.

Pecuniam, quae in opera nova legata est, potius¹³ in tutelam eorum operum, quae sunt, convertendam, quam ad inchoandum opus erogandam, divus Pius rescripsit, scilicet si satis operum civitas habeat, et non facile ad reficienda ea pecunia inveniantur.— § 1. Si quis opus ab alio factum adornare marmoribus, vel alio modo ex voluntate populi facturum se pollicitus sit nominis proprii titulo scribendo, manentibus¹⁴ priorum titulis, qui ea opera fecissent, id fieri debere senatus censuit: quod si privati in opera, quae publica pecunia fiant, aliquam de suo adjecerint summam, ita titulo inscriptionis uti eos debere iisdem mandatis cavetur, ut, quantum summam contulerint in id opus, scribant.

TIT. XI.

DE NUNDINIS.

1. MODESTINUS, lib. 5 Regularum.

Nundinis impetratis a principe, non utendo qui metuit, decennii tempore usum amittit².

2. CALLISTRATUS, lib. 3, de Cognitionibus.

Si quis ipsos cultores agrorum, vel piscatores deferre utensilia in civitate jusserit, ut ipsi ea distrahant, destituetur annonae praebitio, cum avocentur ab opere rustici qui festim ubi detulerunt mercem, tradere eam, et ad opera sua reverti debeant: denique summam prudentiae et auctoritatis apud Graecos Plato, cum institueret, quemadmodum civitas bene beate habitari possit, in primis istos negotiatores necessarios duxit: sic enim libro secundo Πολιτείας, id est, civilis conversationis, ait, Δει γαρ πλειόνων άρα γεωργών τε, και των άλλων δημιουργών και των άλλων διακόνων των τε εισαζόντων και εξαζόντων έκαστα, ουτοι δε ειςιν έμποροι. Κρισις δε ο γεωργός εις την άγοράν τι ών ποιεί ή τις άλλος των δημιουργών, έάν μη εις τον αυτον χρόνον ήπα τοις δευτέροις τα παρ αυτου ανταλλάξασθαι άρχήσει της αυτου δημιουργιας καθήκονος εν άγορά, ειδαώς ή και δε, άλλ' ειςιν οι τούτο έρωτες εαυτους επί την διακονιαν τάπτουσι ταύτην. id est, Indiget enim [civitas] pluribus rusticis, et aliis officibus, et aliis ministratoribus, utrumque his, qui invehant et evehant singula: hi autem sunt negotiatores. Adferens autem agricola in forum aliquid eorum, quae faciunt, vel aliquis alius opifex, nisi sub idem tempus contingat eum cum his, quibus indiget, sua permutare, vacabunt suo officio deses sedens in foro? nequaquam: sed sunt qui hoc videntes se ipsos in hoc stantur ministerium.

TIT. XII.

DE POLLICITATIONIBUS.

1. ULPIANUS, lib. singulari de Officio curatoris reipublicae.

Si pollicitus quis fuerit reipublicae opus se facturum, vel pecuniam datum, in usuras non⁴ conveniatur, sed si moram cepit facere, usurae accedunt², ut imperator noster cum divo patre suo rescripsit.— § 1. Non semper autem obligari eum qui pollicitus est, sciendum est: si³ quidem ob honorem promiserit, decretum sibi, vel decernendum, vel ob aliam justam⁴ causam, tenebitur ex pollicitatione: siq⁵ vero sine causa promiserit, non erit obligatus, et ita multis constitutionibus [et veteribus] et novis continetur.— § 2. Item si sine causa promiserit, ceperit⁶ tamen facere, obligatus est qui cepit.— § 3. Ceppisse sic accipimus, si fundamenta jecit, vel locum purgavit. Sed et si locus illi petenti destinatus est, magis est, ut ceppisse videatur. Item si apparatus, sive impensam in

rer. ad civit. pertin.— 12. L. 3, in pr. supr. h. 1.; L. 9, § 4, supr. de rer. divis.— 13. Arg. L. 4, supr. de admin. rer. ad civit. pertin. immo vide L. 5, § 1, supr. d. t.— 14. L. 2, § ult. supr. h. 1.— 15. L. 1, C. 60.— 16. Immo vide L. 2, C. de divers. reser.— 17. L. 11.— 18. L. 16, in pr. supr. de usur.— 19. L. 5, in pr. supr. de operib. publ.— 20. L. 19, in pr. supr. de donat.— 4. L. 4, infr. h. 1.— 5. L. 3, in pr. infr. eod.